





*21X*  
1705, 14 *112.*  
*16*

JOH. BERNHARDI ~~Griesett~~ / JCTI  
CONSILIARII SAXONICI AVLICI ET CON-  
SISTORIALIS, ANTECESSORIS ET FA-  
CVLTATIS IVRIDICÆ ADSESSO-  
RIS, IAM DECANI

## PROGRAMMA INAUGURALE

*De*

*Ablativis absolutis conditionem*  
vel necessitatem non inferentibus.

*Occasione legis Quinque pedum*  
*s. C. fin. regund.*

---

LITERIS WERTHERIANIS.

*Joh. David Langenmantel*

# PROGRAMMING

**C**onfessione Iesu Christi Quod est  
in Canticis de aliis

214 MARCH 1771



Roximè de ablativis absolutis quatenus ex  
mente JCTorum necessitatem sive condi-  
tionem inferre videbantur nactus sum-  
agendi occasionem. Jam vero Lex Quin-  
que pedum prescriptione submota finalis  
jurgii, vel locorum libera peragatur inten-  
tio. s. Cod. fin. reg. denuò eosdem ablativos absolutos,  
sed ut nullam vel necessitatem vel conditionem conti-  
nentes tractandi opportunam dat ansam. Quam sen-  
tentiam àquè tam jura nostra quam Dd. autoritates satis  
fulciant & confirmant. Utut vero dissentientes non  
duntaxat varias suæ regulæ extensiones afferant, & tam  
in actibus inter vivos, quam ultimæ voluntatis eam obti-  
nere contendant, yicti tamen diversis aliis casibus, Re-  
gulam generaliter propositam variis restrictionibus co-  
arctant. Ut videre est apud Cardinalem Tuscum. lit. A.  
Concl. 32. Alii verò missis illis ampliationibus & restri-  
ctionibus, ajunt: referre, an oratio sit purè enunciativa  
& simplicem narrationem comprehendat, quo casu ve-  
rius illis est, factum duntaxat intelligi, & nullam condi-  
tionem inferri; An vero sit dispositiva, quæ fieri ali-  
quid jubeat, & disponat, vel prohibeat, quo casu ablativos  
illos absolutos conditionem inferre. Sed ipsi hi Docto-

res suæ doctrinæ plenam non adhibent fidem; idcirco  
alii adjiciunt regulæ verbum plerumque, sive hoc subsiste-  
re maximè si jungantur verbis temporis futuri; non  
item si præsentis & præteriti. Zœsius ad tit. ff. locati n. 53.  
arbitratur in contractibus ablativos absolutè positos non  
sempre inducere conditionem. Hæc prefecto Interpretum  
ambiguitas à nemine solvit & nihil operatur, quam  
quod incertiores sint multo quam antè. Si de ratione,  
ob quam ablativis absolutis illa necessitas & conditio ad-  
scribitur, sunt solliciti, in jure nostro, ut salvo meliori  
judicio arbitror, reperiunt nullam. Legem 109. *de cond.*  
*& demonst.* continere conditionem, certissimum qui-  
dem est & à Scævola ita responsum. Et verba *Scriptu-*  
*ra interveniente in l. 1. C. de jure Emphyt.* pariter juxta  
veriorem sententiam necessitatem aliquam impor-  
tant. Verum enim vero hoc evenire virtute ablativo-  
rum absolute positorum collectionem hactenus infalli-  
bilem adferre non valuerunt. In lege 109. *ff. de cond.*  
*& dem.* conditionem sed ex mente testatoris, & in d. l. 1.  
*C. de jur. emphyt.* ex Zenonis Imperatoris voluntate in-  
telligi saltim certum, si non evidens sit. Cum nunc in  
Interpretum arbitrio non sit, diversam imponere vo-  
cibus significationem: Ipsi quidem non dissentunt al-  
legatam sàpissimè regulam non ex verbis seu legibus,  
sed ex interpretatione earum elicital. Cumque nul-  
lum aliud reperiant præsidium, ad eos, qui de vocibus  
præcipue agunt, ab iis suppetias expectantes confugi-  
unt, dum asserunt: rationem hujus explicationis data-  
videtur Dd. à Grammaticis mutuari, quorum hoc scitum  
est:

35(5)SE

est: ablativos absolutos per particulas temporis significativas exponi, quales sunt: *Si, ubi, postquam, quando &c.* que eventum & conditionem designant: Unde Bart. in l. i. prin. de condit. & demonst., *Actus, inquit, verbi designatus per ablativos absolutos importat futurum eventum, adeoque conditionem: Ad eos tanto citius cognoscendos communiter circumflexo insigniuntur, quod non nulli improbant.* Sed quod allatum, vel est perpetuum vel non, Si priori inhærendum; quo spectant tot limitationes? Si posteriori; quomodo regula firma & infallibilis construi queat, dictu admodum erit difficile. Imo si considereremus ingentem illam exceptionum ceteram, regulæ vel æqualem vel vincentem eam supra modum collabefactam cernimus. Insuper Grammaticorum schola iis auxilio non est, quod temere Cardinalis Tuscus una cum aliis tamen opinatur. Explicari quidem ablativos per particulas *cum, dum, postquam, si, quanquam, quoniam,* confitentur facile, sed illas vicissim & perpetuo per conditionem exponi & importare necessitatem nemo asserit: certe non ipsos ablativos sed præpositiones *A, Ab, E, Ex, Sub, Cum, In,* subintellectas per illas particulas & quoque per alias nempe per *relatum, per ita, per ut, per ubi, per sed declarari,* pluribus egregatione in erudito suo opere Institutionum plenissimarum latinæ linguae part. post. ostendit Clarissimus Ursinus Polihistor & Gymn. Ratib. Prof. Publ. celeerrimus. Quibus nunc positis, magna esset temeritas, ablativis absolutis etiam ex mente Grammaticorum necessitatem assertare vel aliquam conditionem invita Minerva affingere.

Diversimode ablativos explicari sufficienter inde constat; sed J Ctorum brocardicum, ut vocant, inde colligi ipsarum vocum significatio quam tanquam signa artificialia ab impositione, inconsideratè non mutanda, habent, reluatatur. Huic opinioni lex nostra s. Cod. fin. reg. suffragatur, quæ variis licet subjiciatur interpretationibus; nulla tamen oppositæ videtur sententiæ favere. Quod ut eo constet manifestius, animadvertisendum, Imperatorum constitutionem non duntaxat enunciationem sed & dispositionem complecti; Varia insuper Dd. cogitationes recensenda. Prius ex proximè allatis perspicuum est, præcipit enim ut quinque pedum præscriptione submota finalis jurgii vel locorum libera peragatur intentio. Difficultas vero constitutionis adeo eruditorum torsit ingenia, ut vel responderint nihil, vel in diversas iyerint sententias. Præprimis Rescriptum hocce afflxit Petrum Baylardum, qui cum omnes leges se intelligere jactitaret, de mente hujus legis interrogatus obmutuit. Nonnulli de spatio quinque pedum olim agere non licuisse arbitrantur, propter terræ vilitatem, id vero hac lege emendatum. Ast hujus interpretationis vanitatem §. 16. Inst. de rer. div. cum l. 21. ff. de furt. unde de re minima semper agere permissum liquet, sufficienter demonstrat. Fur siquidem non in majoribus tantum, sed in minoribus quoque judicatur. Non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur, inquit Hieronymus can. fur. c. 14. q. 6. Prætor quoque, qui alias in restitutionibus in integrum non curat minima l. 4. ff. de in integ. ref. nihilominus in actione vi bonorum raptorum rei minimæ rationem habet.

Opt.

§(7)SC

Optime Julianus Antecessor Constantinopolitanus i-  
quit: *Quamvis res qua de agitur, minima videatur,*  
*tamen iustitiae ratio non ex quantitate, sed ex suis regulis*  
*debet estimari, nam & quod alii vilissimum esse videtur,*  
*boc alii pretiosissimum est.* Etsi vero circa hanc legis  
nostræ evolutionem, nihil monendum fuisset; nulla ta-  
men in ea reperiretur vel conditio vel necessitas. Alii,  
Cujacium in l. 4. ff. de usucap. imitantur, mentem & sen-  
sum sæpe nominatae legis esse, credunt, quod intra quin-  
que pedum, qui inter confines agros interjacent, la-  
titudinem nulla sit usucatio, uti leg. 12. Tabb. cautum est,  
sed neque intra illam latitudinem sit præscriptio i. e. diu-  
turni usus acquisitionis ex constitutione l. quinque pedum  
C. fin. reg. sive non poterant isti quinque pedes usuca-  
pi, iis tamen longo tempore præscribebatur, sed Impp.  
hac lege præscriptionem etiam sustulisse. In hac expli-  
catione viceissim nihil reperitur, quod necessitatem vel  
conditionem ablativis largiatur, interim tamen nec hac  
quidem arridet. Cum enim Impp. verbis: *Quinque*  
*pedum præscriptione submota subjiciant finalis iurgii, vel*  
*locorum, quorum tamen usucatio fuit, libera peragatur in-*  
*tentio, per præscriptionem non videnter intellectisse diu-*  
*turni usus acquisitionem.* Insuper l. 12. Tabb. ante 13-  
ceptum, quod quinque pedes usucapi non potuerint; no-  
va itaque lex haut fuit necessaria. Porro hanc consti-  
tutionem ex legibus Solonis sumtam, quibus cautum ut  
qui arborem in suo sereret, minimum quinque pedes à  
Vicini agro vacuos relinqueret, uti pluribus refert Cajus  
in l. ult. ff. fin. reg. qui tueruntur, pariter nullam offendunt

vel conditionem vel necessitatem ; interim labi idcirco  
videtur, quod sine ulla ratione & fundamento d. l. ult. ff.  
fin. reg. corrigant eamque per hanc constitutionem subla-  
tam putent, cum neutiquā tamen credibile sit, rescriptum  
esse, ne vicinus cuius finibus intra statutum terminum,  
plantata est arbor, exceptionem proponens, sit audi-  
dens. Admodum incongrua hæc quoque erit expositio cum  
is qui contra l. ult. ff. fin. reg. arborem serit actionem in-  
tendere nequeat. Lex vero s. C. fin. regend. liberam  
concedat intentionem adeoque talem præsupponat, cui  
jus agendi tributum. Non desunt ulterius, inter quos  
Alciatus & Balduinus, referuntur, qui præscriptionem  
per usucaptionem exponunt, sensus ut sit : In judicio fi-  
nium regundorum, ab arbitrio & agrimensore judican-  
dum, secundum limitem ac terminum demonstratum,  
usucaptione insuper habita. Quorum aberratio ex eo aper-  
ta, quod usucaptionem & præscriptionem, legibus contradic-  
centibus, confundant. Servitudes enim ex sententia Pauli  
non usucapiuntur l. 14. ff. de serv. quibus tamen præscri-  
bitur l. si quis diuturno 10. ff. si serv. vind. Deinde hanc  
constitutionem nulla necessitate urgente esse latam se-  
queretur, quoniam spatium quinque pedum l. 12. tab.  
& Lex Manilia vetuit usucapi. Franciscus Hotomannus  
enim in indice Legum Romanarum refert ex Cic. de  
leg. 2. eam in finibus agrorum quinque aut sex pedum la-  
titudinem prescrississe, quos usucapi vetaret. Ex qua lege  
Manilia sive ut Hotomannus scribit, Manilia ultima ori-  
tur interpretatio, hac nimirum Manilia lege & 12. tab.  
cavebatur : Ut si vicini inter se jurgant finibus regundis  
arbi-

§(9)§

arbitros tres darent : eisque totius rei jus arbitriumque  
permitterent. In spatio igitur quinque pedum non co-  
ram judge sive magistratu ordinario agebatur, sed co-  
ram arbitris tribus electis. Hanc differentiam causas a-  
gendi ex hoc scripto enervari conjiciunt ex inscriptione  
*d.l.s.* Consulti enim Impp. à Neotherio Præfecto Prä-  
toriorum præscriptio h. e. exceptio (ita enim frequen-  
ter præscriptionis nomen sumi non solum ex rubr. ff. de  
except. & prescr. sed quoque ex *l. an vitium & l. creditor.*  
*ff. de divers. temp. prescr. colligunt;*) quinque pedum ex  
leg. Manilia de eligendis tribus arbitris objici possit ju-  
dicaturo Magistratui ? Responderunt ea præscriptione  
submota h. e. sublata finalis iurgii vel locorum liberè  
peragi intentionem h. e. sive lis sit de fine, de quo ante  
arbitri dabantur ; sive de loco de quo & antea jus dice-  
bat Magistratus libere h. e. ordinarie apud Magistratum  
agi posse. Ita perspicuè Dom. Arum. *Disp. 10. tb. 10.* La-  
tiorem hujus constitutionis interpretationem suscepit Cla-  
rissimus utriusque Juris Candidatus

## DN. JOHANNES DAVID LANGEMANTEL,

Cujus dulcissima Patria est Augusta Vindelicorum, Urbs  
splendida & magnifica Comitiis ibi celebratis imprimis  
istis quibus Imperii Status Protestantes Carolo V. Impe-  
ratori fidei suæ confessionem obtulerunt nobilis, em-  
porium quoque illustre. Pater vero ibidem Vir No-  
bilissimus & Consultissimus Dominus JOHANNES  
DAVID LANGEMANTEL, primarius Reip. istius

B

Sena-

Senator vectigalium vinariorum Praefectus meritisimus:  
Mater vero SUSANNA BARBARA, virtutibus se-  
quiori sexui convenientibus ornatissima foemina, Viti  
Nobilissimi & Consultissimi Domini HIERONYMI  
HEINZELII, ejusdem Reip. olim Senatoris dudum  
fato defuncti charissima nata, ante plures itidem annos,  
non sine ingenti nostri Candidati detimento, denata.  
Se tamen felicem existimat, quod sub fideli suorum paren-  
tum tutela à teneris unguiculis vero religionis Christia-  
næ sensu & optimis moribus imbutus non inter priva-  
tos duntaxat parietes, sed postquam per ætatem doctri-  
næ capax fuit etiam in publicis scholis. Ubi maximis or-  
nat laudibus singularem fidem & suorum Praeceptorum  
Clarissimorum industriam: nimirum GEORGII FRIDE-  
RICI MAGNI, Gymnasi patrii Rectoris & Bibliotheca-  
rii, THOMASII RESCHII, ConRectoris nec non  
NARCISSI NAUNERII, Collegii Evangelici Ephori.  
Cumque multum nostrum profecisse sentiret Pater, ope-  
ræ præmium visum est, eum ad artes philosophicas appli-  
care. Ætate nunc & eruditione adulterior factus in hanc  
nostram Academiam missus est, ut studia laudabiliter  
quaæ ceperat & hactenus tractaverat prosequeretur: ubi  
fasces academicos tenente Viro plurimum Reverendo  
Dn. VEL THEMIO, Profess. Theol. ordinario cele-  
berrimo, piè defuncto, in Studiosorum numerum est re-  
ceptus. Cum vero non ignoraret magno cum labore  
& serius ad exoptatam pervenire metam, qui neglectis  
philosophicis studiis sanctissimum iustitiae templum in-  
grediuntur, necessariis hisce mediis præparavit animum  
usus-

ususque est institutione Virorum maxime Reverendorum & Excellentissimorum Dominorum: Ab initio D. TREUNERI Logic. & Metaph. Prof. potiores philosophiae partes tractantis, deinde D. WEISSENBORNII, Consist. Ducal. Assess. & Pastoris Metaphysicam exponentis, HAMBERGERI, Mathem. & Phys. Prof. Geographiam proponentis & denique D. SCHUBARTI p.m. tum Hist. & Eloq. Prof. Historiam declarantis. Postquam verò istarum disciplinarum Encyclopediam emensus fuit, juri operam dare auspicatus est. Arri- sit autem præprimis accurata Præ-Nobilissimi & Excellentissimi Dn. SCHRÖTERI, Prof. Publ. informatio, adeoque totius juris Justiniane partes eo dirigente absolvit. Meas quoque lectiones publicas non neglexit sed sedulus fuit auditor. Cum nunc quatuor prope annos laudatè & honestè apud nos transegisset, ad Hallensem Academiam profectus. Quamprimum Rectore Magnifico plurimum Reverendo Dn. D. ANTONI, Prof. Theol. Ordin. in Studiosorum ordinem est relatus, laboravit ut ad Studia fieret accessio, ea de causa frequentavit lectiones publicas, nec non historicas Maximè Reverendi & Excellentissimi Dn. D. BUDEI, ibidem illo tempore Profess. Histor. nunc in hac Salana Profess. Theol. Ordin. celeberrimi Illustrium & Excellentissimorum Antecessorum quoque lectionibus nim. SAM. STRYKII Rhetii Jus publicum & Capitulalationem JOSEPHI I. Imperatoris Augusti: THOMASII Jurisprudentiæ divinæ Institu- tiones; BÖHMERI Juris Canonici DESSELII Ero- temata, LUDOVICI Lauterbachii Juris Compen- dium


dium explicantium sedulò interfuit. Anno nunc integro ibidem adeoque quinquennio juris studio alias destinato peracto, nostram repetit Academiam & continuo lectiones tum temporis institutas, nimirum prælaudati Dn. SCHRÖTERI Juris Feudalis, Excellentissimi quoque & Consultissimi Dn. D. STRUVII, Hist. Prof. Publ. historicas & meas Juris publici frequentavit. Cum in omni itaque studio ea industria versatus ut amplis virtutibus propositis præmiis merito afficiatur. Desiderio ejusdem ut in numerum Candidatorum reciperetur & ad examina consueta admitteretur annuit JCtorum ordo. Qui in examine priori textus ex Institutionibus & Pandectis desumptos tam accurate juxta præscriptum modum resolvit, dubiaque proposita adeò eruditè evolvit, ut dignus habitus, qui ad posterius admitteretur, in quo pariter omnibus satisfecit & facultatem edendi specimina publica consecutus est. Proxima itaque die in Brabeutorio juridico sèpius allegatam l. 5. C. fin. reg. interpretabitur. Hanc Panegyrin ut SERENISSIMUS JUVENTUTIS PRINCEPS VINARIENSIS, SAXONIAE DUX, Magnificus Dominus Pro-Rector, Illustrissimi Domini Comites, Proceres Aulæ & Academia Excellensissimi, omnium Facultatum Doctores & Nobilissima Commilitonum Concio præsentia sua cohonestet, humillime, devotè & officiosè rogo. P. P. Jenæ 18. Oct. M. DCCV.

(L.S.)


Jena, Diss., 1705 A-55



VD 18



B.I.G.



JOH. BERNHARDI Griesetti / JCTI  
CONSILIARII SAXONICI AVLICI ET CON-  
SISTORIALIS, ANTECESSORIS ET FA-  
CVLTATIS IVRIDICÆ ADSESSO-  
RIS, IAM DECANI

## PROGRAMMA INAUGURALE

De

*Ablativis absolutis conditionem  
vel necessitatem non inferentibus.  
Occasione legis Quinque pedum  
s. C. fin. regund.*

LITERIS WERTHERIANIS.

Joh. David Langenmantel